



60012

TENTAMEN DISQUISITIONIS
DE
LINGVAE INTEGUMENTIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AUCTORITATE
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA DORPATENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA HONORIBUS RITE CAPESSENDIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
Dr. Fridericus Moering
MEDICUS PRIMI ORDINIS.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIENSI.

MDCCLII.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio, ea conditione, ut simulac typis fuerit excusa,
quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos
constituto.

Dorpati Livon., die 30. mens. Maji anni 1851.

Dr. Reichert,
ord. med. h. t. Decanus.

P A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

GEORGIO FRIDERICO MOERING

29 61242

PARITERQUE

A M I C I S

SUMMO MIHI AMORE ET STUDIIS, QUIBUS
INCUMBERE SOLEBAMUS, COMMUNIBUS
CONIUNCTISSIMIS

CAROLO ANDREAE BERTHELEN

ET

IULIO VICTORI CARUS

HUNC LIBELLUM ACADEMICUM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROEMIUM.

Semioticis obsequenti studiis linguae quoque variis in morbis varia observata conditio mihi occurrit. At multa, quae glossoscopia docet, a prioribus relata inveni; quaestionis autem, qua quis linguae eiusque potissimum integumentorum naturam microscopicam et chemicam indagaret, nulla fere vestigia. Quae quidem explorationes quo clariorem aliis rebus semioticis lucem attulerunt, eo aegrus hic desiderantur. Ideo ipse talem qualemcunque disquisitionem et chemicam et microscopicam adii, unde quae certa reportasse mihi videor, hac data scribendi occasione, referam; quae largiori experientia comprobanda sunt, alibi, si licbit, forsitan literis mandabo.

Multos autem fore suspicor, qui quaerant, quod non et ego aliorum secutus exempla rem aliquam ad observationem medicam propius accedentem, e. g. operationem quandam vel morbi alicuius decursum praemissa quadam de morbi natura praelusione, descripserim. Sunt enim, qui rebus practicis vel maxime sepulti, quidquid olet auram chemicam vel microscopicam, cum certo quodam taedio

aspernentur; alii iique in utraque arte haud parum versati abhorrent a levitate, qua nonnulli quemcunque faciunt ex studiis suis chemicis atque microscopicis quaestum ad medicinae usum vocare solent, ideoque admonent illi amice, ut empiricam magis medicinam sequamur, ne nos quoque illa temeritate corripiamur. Istos taedio illo laborantes nihil curamus, quia, quod talem idiosyncrasiam convincat, nullum omnino est remedium; hi vero amice admonentes velim mihi credant profitenti, defuisse mihi, ut de rebus practicis operae aliquid pretii conscriberem, experientiam; ut compilationem hinc illinc congestam in publicam lucem emitterem, animum atque voluntatem; — credant porro iidem, me in experimentis et instituendis et explicandis summae ubique subtilitati atque veritati studuisse; — credant denique omnes, quibus ostentationis suspicio accedat, quoniam rem novam atque singularem iis molitus esse videbor, me tantum abesse, ut nova ubique, uti fere fit, atque singularia captem, ut ipse ingenue confitear, me in eo maximum laboris pretium ponere, quod nil, nisi quod medici sagacissimi a priori iam constituerint, experimentis tantum comprobaverim.

Ne vero disquisitioni nomen atque auctoritas deesse videantur, iuvat permulcetque animum referre, summa cum liberalitate plurimis experimentis **Exc. LEHMANN** opera atque consilio interfuisse, cui quin maximas palam profitear gratias, facere non possum. Itemque **Exc. BOCK**, qui libris atque consiliis me adiuwabatur, uti solet, amicissime; **Exc. BRAUNE**, qui solita liberalitate libros suppeditabat, **Ill. Exc. CLARUS**, **GUENTHER** et **RADIUS**, per quos multorum aegrotorum linguas inquirere mihi licebat, ac denique

amico **Dr. philos. et Baccal. med. KRUTZSCH**, qui microscopium suum per longum tempus mihi tradidit, summas, quas habeo, atque praecipuas ago gratias.

Nunc nil restat, nisi ut paucis moneam, quaenam in hoc libello tractaverim, quaenam consulto omiserim. Quae sit singulis deinceps morbis propriorum integumentorum natura, explorare neque potui, neque volui; meum pro tempore id solummodo esse putavi, ut inquirere tentarem, quae sit nostra de linguae integumentis a prioribus accepta notitia, et quae de linguae integumentorum natura experimentis et microscopicis et chemicis comprobata sententia.

Quibus praemonitis quum neminem esse arbitror, qui exspectet, fore, ut montes parturiant, sperare licet atque confidere, murem natum non fore ridiculum.

P A R S I.

Quae a prioribus de linguae integumentis
relata acceperimus, cognitio.

CAPUT I.

De via ac ratione, qua veteres linguae integu-
menta investigabant.

Strenui in indagandis morborum signis medici iam antiquissimi observarant, inter illa morborum signa linguam eiusque imprimis integumenta haud inferiores partes agere. Demonstravit enim adspetus, linguae formam, vel superficiem vel colorem variis in morbis variegatum esse; varium esse eius temperaturae, humiditatis atque consistentiae gradum, tactus docuit. Quae variationes quo minus ipsae auxilium medicum postulabant, eo maiorem earum indicia attentionem mereri medicis videbantur. Itaque iam antiquitus inquirebant, quaenam intersit ratio inter singulos morbos atque singulas linguae mutationes? Quae res ut accuratissime exploraretur, observabant, summa, qua solebant, acie atque diligentia, quibus omnino in morbis linguae indicia valerent? Ac profecto experientia comprobavit, nullum fere esse morbum graviolem, in quo lingua nullam prae se ferret mutationem. Inde factum esse videtur, ut in nullius fere aegroti examine linguae inspectio negligenteretur. Neque tamen eadem ubique atque par erat glossologiae dignitas et inde iis exstitit

Quaestio I. Quibus in morbis tantum lingua vel, de quibus hic agitur, eius integumenta valerent, ut signum pathognomonicum constituerent?

Hac re usus, quem medici ex linguae integumentis observatis adhuc faciunt, diagnosticus nititur. Diagnoses autem, uti certam morbi formam ponit, ita certum, quem observatio docuit, decursum morbi praesumit; itaque certus quoque signorum, quibus morbi status cognoscatur, decursus seu eorum mutatio exspectatur. Inde

Quaestio II. Quae sit singulorum illorum linguae integumentorum in singulis morbis certa mutatio?

Quae quum recte observatione constituta sunt, inde licet concludere, num solitam viam atque exspectatam morbus sequatur, nec ne. Sin alia, quam quae sequi solet, integumentorum mutatio existit, alium esse morbi statum, aliam eius prognosin statuimus. Hanc ob causam observationi erat indaganda:

Quaestio III. Quemnam morbi statum, qualem prognosin singula linguae integumenta, quae nova atque inopinata existunt, praedicarent.

Inde usus, quem saepissime etiam nunc medici ex linguae integumentis observatis capiunt, prognosticus (*γλωσσομαντική*).

Quum vero cura, qua indigere possent integumenta, symptomata fere nulla sit, in usum practicum id modo vocari potuit, ut eorum indicia quam accuratissime statuerentur. Quod si observatione priorum satis superque factum esset, medici practici in hac empirica integumentorum notitia acquiescere possent, neque nos, accuratorem atque subtiliorem integumentorum linguae disquisitionem suscipientes nullam forsitan haberemus aliam causam, ac quod iuvat „rerum cognoscere causas.“ Quam ne solam causam nos habere videamur, doceamus in eo, quod sequitur, capite, quam multa, quae ad praxin quoque medicam pertinent, observatio etiam si strenua, dubia reliquerit. Antea autem liceat afferre literas de linguae integumentis conscriptas, non quo ostentare velim atque praedicare, me omnes libros citatos evolvisse, sed ut tantummodo eluceat, quaenam fuerit in hac re priorum copia atque sedulitas. Ipse plurimos illorum ne vidi quidem, sed relatos eos tantum refero, quum, quae in Monographia de lingua a ROBERTO FRORIEP conscripta et in Phaenomenologia a ROBERTO KUETTNER nuper edita sedulo relata atque composita inveni, satis sufficere mihi viderentur.

L i t e r a t u r a.

A. M o n o g r a p h i a e.

PROTHUS CASULANUS: de lingua, quae maximum est morborum acutorum signum. Florent. 1621. Colon. 1626.

MAUR. HOFFMANN resp. HORST: Glossographia. Altdorf. 1677.

ANDREAS CLEYER: specimen medic. Sinicae. Frfrt. 1682. Tract. VI. De indic. morborum ex linguae coloribus et affectionibus, cum fig. 36.

REINH. KUETTNER: Diss. de lingua sana et morbosa. Altdorf, 1715.

- LAUR. HEISTER: De lingua sana et aegra. Altdorf, 1716.
 I. I. FICK resp. BONHOEFER: Diss. de lingua morborum praesaga. Ien. 1725.
 A. BUECHNER resp. PAULI: De prognosi ex lingua. Hal. 1748.
 D. GUENTHER: Diss. sistens. signa ex lingua. Duisb. 1772. recus. SCHLEGEL
 Thesaur. Semiot. Vol. III. Stendal 1804.
 KISWITZER: Diss. de lingua ut signo in morbis. Tyrnau 1773.
 WITZAYI: Diss. de lingua ut signo in morbis. Tyrnau 1774.
 ISENFLEMM resp. GEWINNER: Diss. de lingua squalida. Erlang. 1779.
 HETH: Diss. de lingua sana et aegra in morbis acutis, Aug. Trevir. 1784.
 E. A. NICOLAI resp. GRAF: Quaedam de lingua ut signo. Ien. 1791.
 BREIDENSTEIN: Diss. de morbis linguae, Erl. 1791.
 HECKER: Diss. de linguae impuritatibus. Erfurt 1792.
 HEILBRONN: Antwoord op de vraag: weelke zyn de oorzaken van het
 beslag op de Zong? Rotterdam. 1792.
 MUELLER: Diss. de lingua praerubra ut signo in morbis. Goetting. 1798.
 K. SPRENGEL resp. EICHNER: Diss. de signis morborum, quae ex linguae
 habitu petuntur. Halae 1799.
 FERGUSON: Ueber die Zunge und ihre Krankheiten im phys.-med. Journal
 1802, März Nr. 20.
 DOMEIER: Ueber die belegte Zunge. Daselbst, April Nr. 4.
 Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche, Nr. VI, S. 16,
 SPONITZER: Daselbst Nr. VIII, S. 123.
 COOPMANN in Verhandelingen van Rotterdam Vol. IX.
 CLOS: Notes sur la Séméiotique de la langue, extrait par M. CATTET dans
 le tome XXXII. p. 356. de la Bibliothèque méd.
 CLEMENCEAU: Journal de méd. Tom. LXV.
 HERNANDEZ: Mémoire sur les signes diagnostiques et pronostiques, que
 peut fournir d'état de la langue.
 F. A. RABE: Diss. de lingua ut signo. Mattii Cattorum 1821.
 I. TH. THIERFELDER: De cognoscendis morbis acutis eorumque vicissitu-
 dinibus praesagiendis ex lingua. Lips. 1821.
 M. LEVY: Diss. de cognoscendo praesagiendoque morborum, praecipue
 acutorum eventu ex lingua. Berol. 1824.
 I. GABLER: Diss. de linguae papillis earumque involucro tam sano quam
 aegrotante. Berol. 1828.
 R. FRORIEP: Diss. inaug. de lingua anatomica quaedam et semiotica.
 Bonnae, 1828.
 MEENNICH: Diss. inaug. de Glossomantia. Berol. 1830.

B. Semiotici alique libri, in quibus de linguae integumentis agitur.

- PROSPER ALPINI: de praesagienda vita et morte aegrotantium Lib. VII.
 Venet. 1604; denuo 1709. 1732. 1754.
 AEMILIUS CAMPOLONGUS: Nova cognoscendi methodus.
 THOMAE FIENI: Semiotice. Lugd. 1664.

- FRANKUS A. FRANKENAU: Agonism. med. Heidelb. 1682.
 FRID. HOFMANN: de necessaria salivae inspectione. Halae 1698.
 FRID. SCHRADER: Exerc. III. De signis medicis. Helmst. 1699.
 Philosophical Transactions. Year 1707—1708.
 RAGLIVI opera. Lugd. 1710.
 MICHAEL ALBERTI: Introductio in medic. Halae 1719.
 CHRIST. VATERI: Semiotica medica succinctis aphorismis comprehensa.
 Vitemb. 1722.
 I. IUNKERI: Conspectus Pathologiae et Semeiologiae. Hal. 1736.
 REGA accurata medendi methodus. Lovanii 1737.
 VAN SWIETEN: Comment. in Boerh. Aphor. §. 85. Hildburgh. 1747.
 A. BUECHNER: Diss. de ore, ut signo. Halae 1752.
 STOLL, ratio med. P. I. et P. VII. Viennae 1770.
 ANDRÉ PIQUER: Traité de fièvres, trad. de l'Espagn. en franc. Amsterd.
 1776. §. VIII.
 J. N. PEZOLD: De prognosi in febris acutis. Lips. 1778.
 F. A. WEBER: De causis et signis morborum, libri duo. Heidelb. 1786.
 G. GRUNER: Semiotice, Hal. 1775. — Zeichenlehre, 2. Ausg. Jena 1794.
 F. G. DANZ: Semiotik. Leipzig 1793.
 S. G. VOGEL: Kranken-Examen. Stendal 1796.
 LE ROY: Du Prognostic dans les maladies aigues. Montpellier 1797.
 KURT SPRENGEL: Handbuch der Semiotik. Halle 1801.
 SCHURIG: Sialologia.
 MATTHY: Brief über Gegenst. in d. Therapie, 1. Sammlung. Berlin 1801.
 DOUBLE: Séméiologie générale, Tome I. pag. 321. Paris 1811.
 LANDRÉ BEAUVAIS: Séméiotique, Ed. III, p. 126. Paris 1818.
 SEBASTIAN, Grundriss der allgem. Zeichenlehre. Darmst. 1819.
 FRIEDREICH: Handbuch der Zeichenlehre. Würzburg 1825.
 BERENDS: Vorlesungen über pract. Arznei-Wissenschaft. Herausgeg. von
 SUNDELIN, Bd. I. Semiotik. Berlin 1827.
 VOSMAER: Institutiones semioticae, ed. a G. I. MULDER, Lugd. Bat. 1828.
 I. F. H. ALBERS: Lehrbuch der Semiotik für Vorles. bearb. Lpzg. 1834.
 SCHILL: Grundriss der pathol. Semiotik. Tübingen 1836.
 R. KUETTNER: Medic. Phänomenologie, 2. Aufl. Lpzg. 1842.

CAPUT II.

Observationum de linguae integumentis factarum
recognitio.

Observationes de re nostra institutae spectant 1) ad locum, quem obtinet integumentum, 2) ad colorem, 3) ad consistentiam, et 4) ad rationem, qua integumentum crescit et solvitur. Quae de loco integumentorum referuntur, fere haec sunt:

1) Quod obtinet radicem linguae integumentum, in omnibus fere hominibus observatur; pleraque integumenta ex radice originem deducunt ibique evanescent. — Integumentum, quod tenax in radice persistit, vel localem linguae fauciumve affectionem, vel hepatis pulmonumve exulcerationem latentem indicat. Praeterea ubicunque in aegrotis pertinax observatur, morbi diurnitatem indicat. — Quid docet, si alia, uti statuitur, symptomata morborum illorum latent, num faucium affectionem ponam an exulcerationem hepatis latentem? Annon forsitan nullo omnino morbo laborat suspectus, quippe quum radice linguae integumentum in sanis quoque obvenit?

2) Quod obtinet apicem linguae integumentum phthisin praesagit tuberculosam pulmonum; — usum quem inde facere possumus, hic est: ubi occurrit apicis integumentum, ibi statuamus phthisin pulmonum tuberculosam imminuentem; neque vero semper phthisis illa hoc signum prae se fert. — Quid igitur huius rei causa? Quare nullius, quare pessimi illius ominis id esse concludere licebit?

3) Lineare, quod mediam tenet linguam, integumentum lentum pollicetur morbi decursum, crises imperfectas atque turgescientiam sursum. Quae linea ubi nigrescit, putredinem praedicat.

4) Insulare, quod hic illic maculas ostendit, integumentum ventriculi atque intestinorum phthiseos, etiam ubi cum pulmonum phthisi concurrat, signum est.

5) Punctatum seu potius punctis papillarum rubicundis interruptum integumentum observatur in febribus, quibus tunicae mucosae inflammatio accedit, itemque in gravioribus tractus intestinalis turbationibus (inflammationibus?) occurrit et

salivationem comitans aphthasque praesagiens irritationem tunicae linguae mucosae denotat, qualis maior esse solet in exanthemate scarlatinoso.

6) Unilaterale, quod in linea media limites habet, integumentum concurrere solet cum morbis, qui unam solummodo corporis partem unius lateris occupant: Hemiplegia, Hemicrania, hepatis vel lienis morbis itemque unius pulmonis atque bronchi. — Caeterum ubicunque occurrit in morbis, quos dicunt, asthenicis et febrilibus, mali ominis esse dicitur. — In aliis igitur, quos adduximus, morbis nil, in aliis magis diagnosis adiuvatur!

De colore, atque haec est altera, qua observantur linguae integumenta, ratio, R. FRORIEP ita disseruit: „Color linguae triplici ratione potest esse variatus. Aut enim omnis linguae massa, quae quasi per ipsum involucri pellucet, colore singulari excellit; aut in ipso linguae involucri colores distinctos animadvertimus, Periglottidi inhaerentes; aut inductum mucosum diffusum esse supra superficiem linguae, observatio aegrotorum nos docet.“

Quodsi vero illos linguae varios colores ad massam eius atque involucri refert, qui ex sanguinis affluxu qualicunque modo vel adiuto vel impedito aut ex eius alienatione oriuntur, id sibi ratum habet atque excusatum; sin vero illas quoque coloris variationes his adnumerat, qui ex integumentorum defectu derivandi sunt, nescimus, quonam iure atque consilio hoc faciat. Integris enim musculis, seu, uti vult ille, massa linguae, integro porro involucri si existit rubedo linguae insolita ex defectu normalis, quod mitigare solet illam rubedinem integumentis, color quidem observatus ex musculis seu ex involucri provenit, sed nil habet commune cum morbis, quorum signum illa rubedo ducitur; culpam rubedinis fert integumentum deficiens; id igitur cum morbis, si explicare volumus, coniungamus. Ergo rubrum quoque illum linguae adpectum nobis vindicamus; antea tamen liceat pauca disserere de linguae integumentorum, qualis in sanis esse solet, colore.

Linguae normalis adpectus rubedinem ostendit, quae, auctore R. FRORIEP, inter colorem rosaceum et carneum medium tenet. Oritur ille ex pellucente linguae massa rubra mitigatus tenerrimo integumento. Plerumque hoc signum est ex votis; interdum tamen crises potissi-

mum biliosas impeditas indicans non admodum faustum fertur. Mirum est, quod in ventriculi, cuius magnus cum linguae integumentis consensus videtur, carcinomate perstat sine quadam turbatione.

1) *Lingua rubra*, cuius iam supra mentionem fecimus, occurrit in phthisi, hydrope, affectione scorbutica, quae cum abdominis doloribus coniuncta est, in helminthiasi, sub initio inflammationum (*Gastritidis inprimis*), febris ardentis, cuius malam notam affert; interdum febris intermittens stadio aestus appropinquante, in illis, qui multum fumae nicotianae sugunt et in haematemesi, neque minus in aphthis atque scarlatinae desquamationis stadio. — Varii illi morbi varia ratione cum hoc integumentis defectu cohaerere possunt, varium quoque variis in morbis esse potest ipsum, etiamsi non prorsus deficiat, integumentum. Quae quum experientia huc usque non certe constituta sint, accuratior huius rei disquisitio admodum desideratur.

2) *Linguae integumentum album* in sanis quoque observatur post nocturnum vel pomeridianum somnum; post vigiliis, praecipue lucubrationes; in iis, qui multum fumae hauriunt (in aliis igitur res alia esse videtur?!); praeterea autem in morbis pituitosis, catarrhalibus, gastricis, neque minus post usum medicaminum, quae statum gastricum provocare solent; in morbis febrilibus fere omnibus (potissimum in stadio eruditatis), in inflammationibus gravioribus, inprimis faucium atque laryngis; porro in morbis exanthematicis, ubi villosum habet adpectum. — Vinculum, quo fiat, ut morbi tam varii tamque inter se discrepantes uno eodemque statu integumentis contineantur, nos latet. Num ubique status gastricus accedit? An unum idemque integumentum variis ex causis oritur, an variis ex elementis constituitur? — Neque vero theoretica haec est nostra quaestio, sed admodum ad praxin pertinet. Multi enim fuere et adhuc esse vix est quod moeam, qui ubilibet lingua albide obducta occurrit, gastricismum statuunt; si qui talem diagnosin irrident, non habemus, cur irrisoribus assentiamus, quoniam natura huius integumentis nondum liquet. Minus forsitan excusatus peccant, qui ubicunque gastricismum suam methodum praecipites adhibent. — Neque vero magis sufficiunt, quae prognosticae inde notae feruntur. SPRENGEL docet, hoc integumentum per longum tempus continuum indicare morbi eruditatem prolongatam vel morbum periculosum. Praeterea lar-

vatos atque nervosos morbos portendere dicitur; alias alia inde conieciuntur, ita ut nesciamus, num quod bonum, an malum sit signum; num prophylactice quid, nec ne faciendum sit; interdum ceteris morbi signis atque decursu iudicium adiuvatur; saepius accidit, ut nulla dubitantibus ansa praebatur.

3) *Integumentum lardosum*, quod saepe ad miram crassitiem adaugeri fertur, etiam in sanis observatum est, seu ut rectius dicamus, in illis, qui caeterum tali valetudine fruuntur, ut integram eam esse arbitrentur. Omnino una cum corporis debilitate coniunctum observatur; caeterum in arthriticis crisi locali imperfecta; in syphiliticis porro, leprosis atque phthisicis; in inflammationibus, quas dicunt, internis, potissimum etiam oris; in stadio plurimarum febrium eruditatis. In dysenteria idem integumentum cinereum retinet adpectum. — Hic quoque, uti supra demonstravimus et infra pluribus adhuc exemplis comprobabimus, eadem causarum obscuritas atque morborum inter se differentia urget. — Praedicere hoc integumentum febrium decursum lentum atque crises imperfectas in nervosis febribus atque putridis stuporem docuit experientia.

4) *Integumentum cretaceum* occurrere dicitur in morbis pestilentialibus, quorum infectionem perfectam annuntiat.

5) *Integumentum flavum v. viride* observatum est post animi passiones; in capitis vulneribus, in pulmonum, pleurarum, intestinorum, hepatis inflammatione; in phthisi pulmonali atque laryngea; sub finem morborum acutorum, quibus antea albidum illud obtegumentum erat ac denique in omnibus morbis, quorum aliqua cum hepatis secretionem est communio (potissimum in Ictero, Chlorosi). — Quamvis multis ex causis maxime ad illam, qua bilem esse huius coloris causam putant, sententiam propensi simus, tamen observati tam varii illi tamque inter se discrepantes morbi suadent, ut cauti ponamus interpretationem, ne quid inde praxis detrimenti capiat; sin vero revera eius causa esset bilis, altera oritur quaestio: unde omnibus illis morbis communis sit affectio hepatis et qualis illa? — Prognostica haec sunt: quo magis integumentum ad croceum propendit colorem, eo vehementior morbus imminet; — in febribus inflammatoriis integumentum subito flavescens putredinem indicat atque malum exitum, in statu ipso putrido pessimi est ominis; — hoc integumentum in locos circumscriptos coarctatum maxime in hepatitis et pneumonia

est suspectum. — Unde tristis illa ubique prognosis oriatur, erui non potest, nisi accuratius causa huius integumenti indagata est.

6) Integumentum cinereum comitatur plerumque dysenteriam; interdum enteritidem, pulmonum hepatitisorum ulcerationem, et scarlatinam; etiam pyrosi tribuitur; omnino vero omni sanguinis depravationi. — Forsan haec depravatio culpam fert iniquae in omnibus, quos attulimus, morbis prognoseos.

7) Integumentum fuscum proprium esse docet experientia: morbis biliosis, plethorae abdominali, scorbuto, et scirrho; accedit ad febrem nervosam ac putridam; in plurimis inflammationibus gravioribus (in his Phrenesis, Pneumonia, Enteritis) neque minus in gangraena apparet. Num hic quoque morborum concursus uni an pluribus debeatur causis, dubium est. — Prognosis ita ponit: quamvis saepe lingua fusca putredinem praesagiat, neque tamen semper funestum illum exitum indicat, quem plerumque inde solent divinare. Sed quando melioris, quando peioris exitus est index? — Quod in media lingua apparet integumentum fuscum, lentum certe decursum pollicetur.

8) Integumentum nigrum obvenit in morbis acutis: febre ardente, inflammatoria, nervosa, typhosa; in inflammationibus gravioribus; in chronicis: potissimum in statu verminoso, icterico; in scorbuto, tuberculosi hepatis. — Prognosis quum magnus aestus atque deliria accedunt, tristis; in ictero funestum exitum portendit; in dysenteria ac variolis gangraenam instantem indicat; simul cum virium prostratione, qualem dicunt, conveniens pessimum est signum neque melius in enteritide atque hepatitis. Quae supra iam saepius propositae sunt quaestiones, hic mutatis mutandis eodem iure repetendae sunt. —

Absolutis, quae de colore integumentorum exstant, observationibus transeamus ad eorum consistentiam. Quamquam quae de consistentia integumentorum dicenda sunt, solummodo ad modum referri possunt, quo partes integumentorum constituentes inter se cohaerent; tamen duo, quae hic statuenda sunt, discrimina, firmi scilicet et laxi integumenti etiam ad rationem spectare possunt, qua firmum atque laxum integumentum ab linguae superficie solvantur. Quum experientia doceat, integumenta illa, quae firmam inter se habeant consistentiam, firmiter quoque adhaerere

solere et inversa ratione laxa laxius, haec quidem ambiguitas verborum nullius est momenti atque igitur sermonem facere possumus in universum de firmo ac laxo integumento.

1) Firmum integumentum occurrit in sordibus omnino non turgescens; in infarctibus; in morbis, quos dicunt, organicis praecipue intestinorum; si magnus ardor febrilis sive inflammatorius (praec. in Pneumonia, Enteritide, Gastritide, Hepatitide) linguam quoque nimis calefacit. — Indicare dicitur decursum chronicum atque crises remotas. — Huc quoque referam, quam R. FRORIEP citat:

2) Integumentum membranaceum. Primus eius mentionem fecit LÉLUT*) sub nomine, „muguet“ neque id huc pertinere videtur, quum aliam habet notionem, quam integumenta, de quibus hic proximus est sermo. Oritur enim ex inflammatione diphtheritica, unde exsudatum fibrinosum quasi integumentum linguae superficiem obsidet. Sed ea potissimum de causa hanc integumentorum speciem commemoravimus, uti appareat, quam exiguum discrimen intersit inter linguae locales morbos atque integumenta illa symptomata; commemoravimus eam, quo levioris nobis ad disquisitionem, qualem infra instituemus, viam paremus.

3) Integumentum laxum mucum designat auctore FRORIEP integumenta constituentem; occurrit in morbis pituitosis, catarrhalibus; in turgescencia sursum et post usum medicaminum salinorum, Antimonialium atque Mercurialium. — Praedicat crisis proxime instantem.

Quae de ratione, qua linguae integumenta oriuntur et solvuntur, accepimus, fere haec sunt:

1) Integumenta pleraque ex linguae radice ad apicem sensim progrediuntur et inversa via ab apice ad radicem versus evanescent.

2) Integumenta, quae solvuntur, modo unam, modo duas quasi pyramides in utroque linguae latere formant; basis pyramidis radice semper nititur.

*) Répertoire général d'Anatomie et Physiologie pathologiques et de Clinique chirurgicale, Paris 1827 tom. III. Mémoire sur le muguet par F. LÉLUT et tome IV. Pars III, p. 10. Mém. etc. Deuxième partie.

3) Quod pertinax remanet obtegmentum crises designat imperfectas et valetudinem nondum plane restitutam.

4) Quod subito in morbis integumentum oritur, crises aut complicationes pollicetur. —

5) Quod modo oritur, modo solvitur integumentum aegrotorum designat morbum ad crisis propensum; convalescentium crises imperfectas.

Quas his paucis retuli de linguae integumentis instituta, observationes, quas sparsim proposui quaestiones sufficere mihi videntur, ut satis superque eluceat, quanam expedierit observatio, quanam reliquerit expedienda. Neminem enim fugit:

I. Quam parum sit constitutum, quorumnam morborum singula deinceps integumenta signa sint pathognomica, quorumnam accessoria.

Pathognomicum autem signum tunc iure quodam integumentum aliquod ferri potest, quum observatio docuit, unam eandemque integumentum rationem in certis quibusdam morbis semper obvenisse; sin minus, quaeritur: quot casus singulorum morborum unam eandemque integumentorum rationem ostenderint; quo plures casus, eo minus accessoria habenda sunt illa integumenta. Quamvis, quae inde oritur, cognitio minime perfecta sit neque satis stabilita, tamen et Diagnosi et Prognosi forsitan sufficit. Neque vero talis fuit, qualem proposuimus experientia; sed quidquid in morbis, quorum natura atque complicationes et ipsae minus exploratae fuerunt, integumentorum semel, an pluries an semper observatum erat, morbis adscribatur, atque inde factum esse videtur et ut morbi pro natura diversissimi sub uno eodemque integumento subiungerentur, et ut uni eodemque morbo plura eaque inter se aliena integumenta adscriberentur. Porro ex prioribus elucet,

II. Nihil fere occurrere, quo constitutum sit, quanam fuerit singulis in morbis singulorum integumentorum certa mutatio?

Pauca enim, quae de ratione, qua integumenta solvi solerent, relata sunt, et unica observatio de vicibus albedi et flavi integumentum fere omnia sunt, quae huc pertinent. Neque vero hunc proprium decursum curare potuerunt, quum primariam illam quaestionem non satis respexisse videantur. Denique patet,

III. Ne prognosin quidem, quam omnium maxime in hac re

agitabant, satis ubique integumentorum observatione expectatam esse.

Ubi enim una eademque intercurrentes integumentorum species modo bonum modo malum exitum pollicetur, quidnam est, cur unum alterumve expectemus?

Quoniam igitur observatio adeo multa dubia reliquerit, fieri quidem potest, ut quaedam observatione strenue repetita expediri possit; multa tamen adhuc problemata restabunt, ideoque aliam, quae remanet, viam ingrediamur, rationalem scilicet, qua natura atque causis integumentorum accuratius cognitio concludi licet:

- 1) num quod integumentum morbo alicui obvenienti pathognomice conveniat, nec ne;
- 2) num decursus atque mutatio talis sit, qualis ex natura eius atque causis esse debeat et denique
- 3) num quod integumentum, quae est eius natura, bonum an malum exitum possit praedicere.

Quae huc spectantia a prioribus accepimus, doceat, quod sequitur

CAPUT III.

De causis atque natura linguae integumentorum.

Discrimen, quod supra retulimus, inter usum medicorum diagnosticum et prognosticum practicum tantummodo habet originem. Etenim praesens quisque in signis aegroti status apparet et ita integumentorum quoque indicia praesentem solum statum demonstrant neque alius igitur proprie glossologiae usus esse potest, ac diagnosticus. Diagnosi autem certam morbi formam vel certum quendam aegroti statum statuit, cuius certum decursum larga observatio comprobavit. Inde praesumptio, nunc quoque Diagnosi constitutam formam eundem secuturam esse decursum atque exitum; inde Diagnosi certam quandam Prognosin semper involvit. Quodsi igitur linguae quodvis integumentum pathognomicum alicuius morbi signum habetur, certam quoque in integumento morbi decursui respondentem mutationem observari posse necesse est, quod ubi fit expectatum, nil est, quod prognosin priorem turbet; sin vero nova quaedam obtegmenti atque inopinata mutatio apparet, mutatum exinde totum statum esse concludendum est seu novum ad

priorem accessisse morbum, qui prognosin novam vel meliorem vel peiorem pollicetur. Ergo quaestio, quae prae ceteris hic urget, sola haec est:

Quinam sunt illi status, qui aut per se aut cum aliis morbis complicati singulis linguae integumentis indicantur? — seu

Quaenam sunt causae vel seminia, unde suam quodque linguae integumentum originem deducat? —

Quamvis hic quoque multa potuerit docere et revera docuerit experientia, tamen, quae huc facientia accepimus, satis adhuc hypothetica sunt. Putabant enim, ut iam de singulis agamus nostramque sententiam comprobemus

- 1) Integumentum illud album oriri, omissis hic et ubique, quae extrinsecus ingeruntur, substantiis, ex ventriculo; nunc hanc quidem sententiam desertam videmus et defensam aliam, qua in statu gastrico omnino id causam habere videatur. Quibus ita res sese habere videtur, illa tantum experientia obstat, quae docet, idem integumentum post simplicem quoque linguae vel oris irritationem neque minus in sanis observari.
- 2) Integumentum lardosum ex debilitate aliqua (?) derivatur.
- 3) Integumentum cretaceum ex salivae copia solito minore provenire auctor est FRORIER.
- 4) Integumentum flavum vel viride num ex hepatis functione turbata proficiscatur, nec ne, adhuc dubitatur.
- 5) Integumentum cinereum ad nullam omnino causam vel certam morbi formam reductam videmus.
- 6) Integumentum fuscum, neque minus nigrum ex duplici causa derivatur: aut ex calore nimio, quo albidum illud vel cinereum integumentum quasi comburatur aut ex sanguinis depravatione.

Quae de loco, consistentia et oriundi solvendique varia ratione huc pertinentia proferuntur, nil fere aestumanda sunt. Illae autem de colore linguae integumentorum relatae sententiae tam variae sunt et coniectaneae, ut in iis acquiescere minime possimus. Primam igitur, ut in hac re proficiamus, disquisitionem de linguae integumentorum natura tentare debemus.

Quae de natura eorum iam praesto invenimus opiniones tantummodo sunt ex verisimilitudine coniectae. Ita dicit R. FRORIER, integumentum esse mucum (sordesque), qui aliis accedentibus pigmentis aliam accipiat faciem. LOTZIO cellulas epitheliales integumenta constituere, id quod multi quoque alii suspiciunt, videtur *).

PARS II.

Disquisitio de linguae integumentorum natura.

CAPUT I.

Anatomica quaedam.

Accedenti mihi ad accuratiorem linguae integumentorum disquisitionem primum fuit, ut quae de linguae anatomia cognita essent, subtilius repeterem. Quamvis enim priorum de integumentorum natura prolatae sententiae, utpote quae aliunde ea oriri statuerunt, illud quidem studium minus demonstrarent, variae tamen illae de integumentorum sede factae observationes, ut anatomicis quoque me accingerem, mihi suadebant speranti fore, ut serius natura integumentorum accuratius explorata expeditius liqueret interpretatio quaestionis: unde variae variis in morbis sedes neque minus forsitan, unde variae illae oriundi solvendique rationes originem deducerent. Quae quum longissime adhuc absint, neutiquam ista hic repetam, quae diffusius in quolibet compendio anatomico, e. g. apud BOCKIUM **) enarrantur. Id modo liceat afferre, quaenam sit tunicae mucosae structura anatomica, ut ea quasi basi nitamur.

*) LOTZE, Allg. Path. u. Therap. als mech. Naturw. Leipzig 1842. S. 450: „Die Belege selbst sind weder chemisch noch anatomisch näher bekannt, sie scheinen fast nur aus abgestossenen Epithelialblättchen und einem mehr oder weniger normalen (lingua alba) oder mit Gallenstoffen getränkten Schleime zu bestehn, (lingua flava, flavescens, crocea).

**) Handbuch der Anatomie, 3. Aufl. Leipzig 1843, Bd. II, S. 313—316.

Membranam mucosam vel maximam cum cuti similitudinem habere res est nota recentissimis experimentis admodum comprobata. Utraque enim membrana constat ex pluribus, quae auctorem HENLE secuti afferre volumus, stratis:

I. Stratum infimum (cutis, mucosa proprie sic dicta) ex tela conjunctiva (Bindegewebe) exstructum in varias variis in locis plicas, papillas elatum apparet, quibus acutissime accingere membranulam aliquam, membranae epidermiquae auctor est DUTROCHET. Illae autem papillae nusquam magis, quam in lingua, prominent.

II. Stratum, ut ita dicam, plasticum, quod HENLE appellat: membranam intermediam eodem auctore primum illud stratum sequitur. Est enim cytoblastema super primum illud stratum quasi diffusum, quod continet multa granula elementaria (Elementarkörperchen, HENLE) s. nucleolos (Kernkörperchen). Quae quidem corpuscula in diversissimis fluidis sibi similia incertam adhuc atque inexploratam habent naturam chemicam. Ea, quae in membranis epithelio privatis invenimus corpuscula minima, acido acetico nihil mutari affirmant VOGEL, BUEHLMANN, LEHMANN et MESSERSCHMIDT; solvuntur autem Kali caustico. Quibus ex corpusculis nascuntur dubia adhuc, forsitan multiplice (tres saltem defenduntur) ratione cellulae epitheliales, ex quibus constat

III. Stratum epitheliale (Malpighianum, HENLE*). Illas autem cellulas dividi in tesselatas, cylindricas et vibratorias res est nota. Nobis solum de epithelio tesselato agendum est, quum illud tantum linguae proprium observetur. Sunt autem illae cellulae tenerae, pellucidae, subrotundae vel ovae, vel polyedricae, plus minusve applanatae, magnitudine diversae; intus nucleum ellipticum, solidum et inde obscuriorem, in superficie tenere granulatum, media plerumque in parte nucleolo instructum continent. Quae cellulae in membrana mucosa in plura strata altera alteris superimposita coordinatae sunt, ita ut quò superius sit stratum, eo magis in discum dilatetur cellula, quo autem illud inferius, eo magis globosa sit cellula. Huius involucrum acido acetico

*) HENLE, Allgem. Anatomie. Leipzig 1841. S. 1010.

solvitur, illius eo difficilius, quo propius cellula superficiem tangit. Hoc stratum in cuti sequitur.

IV. Stratum corii, quippe quod ex cellulis quasi exsiccatis, emortuis, constituitur quodque in mucosa membrana propter desquamationem fluidis adiutam vix reperiri fertur.

Leges autem, quas desquamatio sequitur et in cuti et in mucosa parum sunt cognitae; id modo inter omnes constat, eam interdum valde adauctam, interdum imminutam esse.

CAPUT II.

Experimenta microscopico-mechanica.

Varia integumenta linguae per microscopium indaganti hae in universum partes constituentes s. elementa microscopica occurrunt:

1) Fluidum, in quo aliae partes suspenduntur, homogenum. Constat autem i. q. a priori licet componere, ex muco atque saliva, quae pro varia, qua invicem inesse possunt, copia varium constituere debent fluidum homogenum. Totum vero fluidum interdum largius, interdum rarius esse solet. Quae sit mutua in variis integumentis mucii atque salivae copia explorare non tentavi, neque certas de totius fluidi copia notas proferre possum, id modo affirmans, quo largiores cellulas, quas infra describere est in consilio, epitheliales conglobatas et massas granulatas, eo rarius in universum fluidum esse solere. Si quis quaerit, annon illius membranae intermediae vestigia in hoc fluido occurrere possint, huic id, quod HENLE dicit in anatomia sua generali p. 1010 velim responsum, nullam videlicet in linguae involucro esse membranam intermediam. Sin vero ex saliva et muco constat fluidum, continere debet, quae plerumque utramque substantiam comitari solent

2) Vesiculas aeris, quae omnem omnino magnitudinem atque formam possunt accipere et eo praecipue cognoscuntur, quod propriis sibi circulis concentricis, latis praeditae sunt.

3) Corpuscula mucii (Schleimkörperchen). Difficile profecto est dictu, quaenam mucii, quaenam puris sint corpuscula, quippe quum mucus ex membrana etiamsi parum irritata transitum corpusculis paret ad illam formam, qualem puris corpusculis adscribere solemus. Nos tales difficultates minus curantes id solummodo referimus: interdum corpuscula observata

esse ad margines nihil granulata in media parte vel ad margines quoque versus nucleum continentia; alia admodum magna ad margines granulata, sine quodam nucleo conspicuo; alia super totam planitiem granulata neque magis nucleo praedita; haec variae esse magnitudinis. Illa promiscue obveniebant; saepissime in uno eodemque integumento omnia conspicua; frequentissima illa ad margines granulata corpuscula vel prorsus granulata observavi in meae linguae integumento, quum coryza laborarem, itemque in febre catarrhali et catarrho chronico apud plures aegrotos.

4) Corpuscula minutissima, quorum de natura nil mihi dicendum velim assumere; num nucleoli isti fuerint (id, quod minus videtur), an minutissima pinguedinis emulsiva corpuscula, an aliud quidquam, mihi non liquet. Pinguedinis esse corpuscula emulsiva, suadet observatio, qua semper frequentissime ea cum certis pinguedinis corpusculis maioribus una convenire vidimus.

5) Corpuscula pinguedinis emulsiva, cuiuslibet fere magnitudinis observantur. Equidem ea nunquam alias inveni, ac in iis, qui iam cibos vel potus per diem sumserant; in ieiuniis, id quod in me et amicis, quorum unus per multum fumae sugere solet, observavi, nulla eorum erant vestigia. Sunt autem illa forma cognita rotunda, magna lucis refractione, claro atque singulari splendore conspicua, marginibus distincte circumscripta; centrum lucidum.

6) Corpuscula sanguinis nota illa forma rotunda compressa, umbilicata, colore flavescente rariora inveni, in febris catarrhalis stadio incrementi semel, in puellis ptyalismo laborantibus pluries, ubi quum gingiva sanguine rubesceret, facile origo deducebatur. Quomodo in febre catarrhali illa sanguinis corpuscula integumento se admiscuerint, nondum mihi patet. Epistaxis certe non adfuerat. —

7) Cellulae epitheliales, quarum quum normales supra iam descripsimus, non est, cur repetantur. Mutationes autem earum fere hae sunt:

- a) quoad formam; oblongae illae cellulae in lanceolatam transibant; quae fere linearis magis formae, plerumque aggregatae erant, et nucleo solo, quem continebant, cognoscebantur.
- b) quoad magnitudinem, multum inter se distare solent; sunt enim admodum magnae, sunt quoque parvae, quae ex rotunda cellula profecta videantur.

c) quoad colorem omnes quidem, quae in sanis occurrunt, pellucidae, decolores sunt; neque in iis, qui flavum obtegumentum linguae proferebant, coloris quaedam conspicua mutatio observabatur. Interdum autem ac potissimum in iis, qui typho laborabant, quorum duorum integumenta accuratius indagavi, cellulae quaedam in area obiectiva conspicuae erant ex rubro flavescences ita, ut sanguine putrido quasi tinctae viderentur.

d) quoad coagulationem; pleraeque sparsae atque separatae; ubique autem plures congressae observabantur aut certo quodam cum ordine, ita ut semel quasi membranulam nucleis punctatam et marginibus pellucidibus quasi undulatam inde exortam in sano quodam invenerim, aut sine quodam ordine sibi insuper impositae vel conglomeratae obveniunt. Huc pertinere videntur.

8) Massae globatae, rotundae, oblongatae, angulatae, interdum paulisper et cornuatae; lucem vix transmittent ita ut ex flavo cinereum haberent adspicuum; in media autem massa lucida quasi via longum massae diametrum sequebatur, vel in duas aut plures vias lucidas dehisebat. Magnitudo varia; nonnullae tantae erant, ut vix aliud quidquam in area microscopica appareret; aliae non tam magnae tamen 0,01 lineis vix minores. Observabantur in quolibet fere integumento solito crassiore et sanorum et aegrotorum. Bis modo frustra eas quaesivi; primum quidem in typhoso aliquo, cuius lingua ardens illas cellulas ex rubro flavescences emittebat, deinde in homine, febre intermittente tertiana laborante, qui multum fumae in apyrexia suxerat; in hoc etiam large obveniebant, quas modo describam

9) Massae conglomeratae, granulatae, variae formae, nusquam fere rotundae, laceratae; ex corpusculis minutissimis compositae videbantur; sunt magis quam massae globatae, minus quam cellulae epitheliales pellucidae. Num cellulae sint epitheliales quasi dissolutae, nec ne, valde dubium est. — Occurrebant omissis integumentis eorum, qui multum fumae sugere solent, fere semper una cum massis illis conglomeratis; raro sine illis; saepius illae sine conglomeratis

10) Denique massae quasi medium inter conglomeratas et conglomeratas tenentes flavo vel viridi colore observantur in iis, qui flavum vel croceum producant integumentum. Neque tamen totum ex

illis, uti conici posset, constat integumentum, sed sparsae solum et flavae cum viridibus intermixtae ibi conspiciuntur.

Praeterea in iis, quae diutius in area obiectiva versatae sunt, integumentum partibus occurrunt crystallae salium, quae ut discernamus atque accuratius hic exponamus, nullam hic habemus causam, quoniam vix ac ne vix quidem illa aliquid ad constituendum linguae integumentum conferunt.

CAPUT III.

Analysis microscopico-chemica.

Haec quidem analysis quum alium finem nobis habere non possit, quam ut signa rerum, quarum de natura aut dubii haeremus aut certiores fieri volumus, characteristicae adaugeantur, parum interest, quomodo cellulae epitheliales illae et forma satis perspicuae et quae sit earum natura chemica alibi iam exploratae, quomodo puris vel mucii corpuscula et forma et natura chemica pariter cognita sese habeant. Id quod prae ceteris hic urget, accuratior est cognitio massarum illarum et conglobatarum et conglomeratarum. Quae tamen in aliis quoque rebus memoratu digna obviant, obiter tangamus.

Acidum nitricum conc. modo adiectum nullam mutationem provocat aliam, quam ut singulae partes distinctius appareant, post longius tempus autem massae illae conglobatae flavescunt, deinde viridescunt faciem accipiunt. In coloratis istis nihil fere mutatur.

Acidum nitricum dil. fere nullam exhibuit mutationem.

Acidum muriaticum conc. paullisper coloris illam variationem attingere videbatur, ita tamen, ut aeque nullam esse dixerim.

Acidum muriaticum dil. aequat. acid. nitric. dil.

Kali causticum conc. fluidum antea limpidum reddidit granulatum. In massas, quas prae ceteris hic respicimus, nil mutatur, neque magis agit:

Ammoniacum causticum.

Acidum aceticum eam solummodo mutationem procreabat, ut mucus antea in liquido diffusus nunc in filamenta congrederetur,

quae massis illis conglobatis ita adhaerebant, ut radiorum instar eas circumdarent. Post longius autem tempus evanuit ille nimbus. Epitheliales cellulae consuetam suam priorem formam atque constitutionem retinebant.

Sal ammoniacum nullam exhibuit mutationem satis perspicuam, nisi quod hic quoque margines clariores apparerent.

Kali bichromicum, id quod exspectare licebat, margines quoque corpusculorum atque teneras cellulas epitheliales paulo magis perspicuas oculis reddidit. Caeterum neque initio neque post aliquod tempus ullam mutationem inde profectam observavi.

Ex his, quae adiicienda mihi videbantur, ne omisisse aliquid videamur, concludere licet, quam parum haec analysi in cognoscendis rebus nostris atque diiudicandis adiuverunt.

CAPUT IV.

De linguae integumentorum natura.

Postquam partes integumentorum linguae constituentes s. elementa eorum microscopica ea, qua observavimus, cura retulimus; restat modo, ut illas ad originem, unde profectae esse videntur, reducamus. Origo autem triplex in universum statuenda est; sunt enim integumenta composita ex substantiis

- 1) quae extrinsecus linguae dorso adhaerent,
- 2) quae in corpore natae aliunde ad linguae dorsum feruntur, vel denique
- 3) quae ex lingua ipsa procreatae ibi resident.

1) Quae extrinsecus ingesta linguae adhaerent, tanta fere varietate esse possunt, quanta solet esse copia ingestorum. Nos supra illa minus curavimus, quia inde nullae omnino difficultates oriuntur, nisi quod forsitan ea cum integumentis alius originis commutari possunt. Neque vero constans per aliquod tempus atque pertinax esse huius originis integumentum ullum videtur, nisi quod corpuscula pinguedinis emulsiva, quorum ne dicam omnia, permulta extrinsecus ingesta diutissime adhaerere observatio docet.

2) Substantiae, quae aliunde ex corpore, atque ex lingua ipsa, profectae linguae dorso adhaerent, ideoque integumenta constituere possunt, ex illarum partium secretionem et normali et abnormi originem deducunt, unde aditus secretis ad linguam patet; in his praec-

sertim nares, larynx, bronchia; os, fauces, oesophagus, ventriculus, intestina. Huc certe epithelium tessellatum, corpuscula puris, pinguedinis emulsiva si non semper tamen saepe referenda sunt. Si qui in elementis microscopicis hanc ob rem descriptionem massae tuberculosae, epithelii cylindrici, quippe quod in via respiratoria obvenit, si qui substantias vomitu vel ructu ad integumenta aggressas desiderant, isti velint meminere, nos ea sola retulisse, quae observare licuisset. Ventriculum et intestina huc referentes minime illis assentimur, qui omnia fere integumenta ex ventriculo intestinisque exorta putant, sed potissimum ructus, quos iam attulimus, et vomitus respicimus.

Neque omnino utraque oriundi ratio tantum valere nobis videtur, quantum ab aliis iis tribuitur. Ubi enim puris atque pinguedinis corpuscula linguae integumento adhaerent, illae quoque frequentes massae conglobatae et conglomeratae observantur ita ut eadem praecipuas in integumentis constituendis partes agere videantur.

3) Age igitur, iam examinemus tertiam eamque longe gravissimam originem, qua ex lingua ipsa integumenta nata esse censemus. Si quidquid in organismo et structura et functione turbatum observatur, id morbosum fertur et ferri proprie debet, nihil impedit, quominus quamlibet soliti linguae integumenti mutationem morbosam dicamus. Turbata enim plerumque est ex parte saltem functio, sapor nimirum, turbata semper structura. Ne vero temere quid posuisse videamur, analogiam revocamus, quam inter cutim atque mucosam intercedentem a physiologis magis, quam a pathologis respectam esse scimus. Cutaneorum enim morborum cognitio ita est exulta, ut vix sensus subtilitates signorum, quibus species dividuntur, sequi possint; mucosae contra morbos eos tantum curatos videmus, qui admodum molesti curatione medica indigent. Curatio autem illa medica necessaria quum in cutaneis morbis statuendis minime causam exhibet, cur alias cutis anomalias morbosas, alias non ita appellemus, unde fit, ut in mucosis alienationibus illud criterium relativum urgeatur? Ita ratiocinantes omnia integumenta ex lingua ipsa profecta morbosa seu si magis placet morbos cutaneis morbis quodammodo analogos designamus. Quos, veluti omnes, morbos suos habere causas et proximas et remotiores, per se patet nobisque magnum in earum disquisitione erit posthac officium. Pro tempore integumentorum, quae ex illis linguae morbis veniunt, sola natura indaganda est.

Proh dolor de integumentis ex linguae inflammatione diphtherica, ex aphthis aliisque ex enanthesibus exortis nihil habemus, quod dicamus, quia nihil observavimus. Itaque modo in eorum, quae solito integumenta $\alpha\alpha\upsilon^3 \xi\zeta\omicron\chi\chi\upsilon$ dicuntur, integumentorum natura inquirenda sistamus.

Integumentum album inprimis ex massis conglobatis et conglomeratis componitur. Si verum est, id quod videtur, massas illas esse ex epithelio quasi emortuo et conglutinato commissas, quaestio est: unde haec epithelii congeries a sanis aliena in aegrotis exorta sit? In sana enim tunica mucosa stratum quidem illud tertium HENLEI epitheliale ex cellulis adhuc integris, neque vero quartum cuti proprium stratum ex cellulis epithelialibus emortuis, conglutinatis compositum observatur. Quodsi igitur in integumentis conglobatae atque emortuae cellularum massae obveniunt, prima, quae nos venit, cogitatio haec est: annon forsitan integumentum solitum quarto illi cutis strato .s. corio sit analogon? Hanc ob rem experimentum, quod sequitur, institui: particulam corii ex digiti secundi apice desumpti et per tres horas in muco et saliva macerati auxilio microscopii observavi; ibi quoque cellulas epitheliales tesselatas largas, ibi quoque conglobatas, ex epitheliis emortuis aperte compositas massas reperi, eo tantum ab massis integumentorum conglobatis distantes, quod viam, qua dehiscere permultas illas monuimus, non observavimus. Quod experimentum quum neutiquam ad certam nos de integumentis soliti natura sententiam duxerit, attamen veri aliquid in re proposita inesse videatur, quantum fieri potest, haec experimenta amplificabimus.

Integumentum lardosum, cinereum, quum nusquam ea observare licuerit, intacta nunc mittimus.

Integumentum flavum vel viride nullibi sine massis illis conglobatis et conglomeratis obvenit, immo eas ipsas colorem flavum vel viridem solas semper tulisse retulimus. Itaque quae de albi integumentis natura diximus, huc quoque referenda sunt. Praeterea autem restat, ut respondeamus quaestioni: unde illi colores provenierint? Quum iam supra commemoravimus, acidum nitricum massis illis coloratis adiectum nullam coloris vel exiguum modo mutationem provocasse, nescio an inde quispiam concludere velit, bilis pigmentum non esse causam coloris, quia acidum nitricum bili notam illam nostrisque in experimentis desideratam colorum variationem tribuere solet. Id

concentratae, ut ita dicam, soli bili, neque vero adeo dilutae proprium esse signum auctor est LEHMANN. Itaque hic quoque nihil proficimus dubii adhuc, quamam via analytica naturam coloris detegere possimus.

Integumentum fuscum et nigrum. Ea, quae nos de his integumentis instituere licuit, experimenta alteram magis a prioribus coniectam causam comprobare videntur, quae videlicet in sanguine depravato posita est. Neque vero in hac sententia perseveramus, haud ignari, quam multis experimentis opus sit, ut sententiam prolatam satis comprobemus, quam pluribus, ut alias saepe defensam refutemus.

Haec sunt, quae iam nunc mihi referenda videbantur, quum legi academicae me satisfacere oporteret; quae abhinc instituam hac de re experimenta atque disquisitiones, tunc tandem referam, quum experientia et sententiae satis stabilitae suadebunt.

Theses.

1. Vim vitalem physica quoque ratione quodammodo defendi posse.
 2. Therapiam generalem, qualis nunc sit, non esse disciplinam.
 3. Observationes, quas de medicaminum efficacitate in morbis veteres fecerint, in creanda aliquando disciplina pharmacologica non esse spernendas.
 4. Curam herniarum s. d. radicalem non esse radicalem.
 5. Fragmenta claviculae fractae non tantum fasciis, quantum cicatricis vel calli contractione adaptari.
 6. Pathologiae theoriam humoralem infausti fuisse momenti ad anatomiam pathologicam nostris temporibus excultam.
 7. Infarctus haemoptoicos ab hepatisationibus lobularibus distingui non posse.
 8. Diagnosin anatomico-pathologicam ab diagnosi medica bene esse discernendam.
-